

Videbunt, in quem desiderant Angeli prospicere, quem Videre Vita Aeterna est. Quibus verbis habuisse præ oculis Bernardus videtur Salvatorem dicentem Johann. XVII. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum Ego, & Illi sint tecum, ut videant Claritatem meam, quam dedisti mihi. Idem est Claritas atque Gloria: hanc autem conspiciere Beatitudo est. Atque hanc ipsam Beatitudinem rursus agnovit Bernardus Sermon. II. in Sanctorum Animabus ad Cælum translatis; nondum tamen perfectam neque consummatam dicit (quod & nos fatemur); expectanda quippe consummatio est post Resurrectionem Carnis. Sunt hæc ejus verba. Operæ pretium puto de communi Sanctorum omnium Felicitate, in qua Beata jam Requie perficiuntur, & futura, quam præstolantur, Consummatione, sermonem facere &c. Propterea infra inquit: Consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo &c. Conversatio nostra IN COELIS est. Verumtamen non sic nostra, sicut ipsorum. Ipsorum enim substantia IBI est; nostra autem desideria. Ipsi per PRÆSENTIAM, nos per memoriam IBI sumus. Itaque de Sanctis vita sanctorum testatur dictum a Johanne in Apocalypsi. XIV. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur &c. Licet non plenam, habent tamen lætitiā multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu suo &c. Quanta est Felicitas eorum, quam immensa Lætitia! Longe aliter afficiuntur in hujusmodi meditationibus, & multo amplius delectantur, quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim, quomodo labores Propheta inculcans & multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare valens quod intendit: Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quid tamen addidit? Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Est ergo multitudo dulcedinis (in præsentia videlicet Justorum Gloria) quæ abscondita est, Magna quidem, & Magna Valde, necdum tamen Perfecta; quoniam in manifesto Perficietur, non in abscondito, quando non sub Altari requiescent Sancti, sed super thronos tanquam Judices residebunt. Perfectionem igitur cœlestis Felicitatis statuit Bernardus in resurrectione Corporis glorificandi; quum tamen interim ineffabilis Gloria non desit Justorum Animabus. Neque enim (ait ille Sermon. III.) præstari decet integram Beatitudinem, donec sit homo integer, cui datur. Acceperunt tamen Iusti jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiantur & nos. Stola prima ipsa est, quam diximus, Felicitas & Requies Animarum; secunda vero Immortalitas & Gloria Corporum. Propterea addit, Sanctos expectare Carnem, quia ipsorum sine ea compleri Lætitia, perfici Gloria, consummari Beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum. Hæc ex Augustino Bernardus. Quæ is deinde subdit, Visionem Dei ipsis Animabus concessam indicare videntur. Unde, ait, & beatus Johannes, qui multa nobis de eo statu, in quo felicitate beatæ Animæ Requiescunt, per spiritum reservavit. Sine macula, inquit, sunt ante Thronum Dei. Sine macula, inquam, sed necdum sine ruga, donec veniat dies, quum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam.

Con-